

lium afferat vir doctus, dum dicit, has leges non de fructibus consumtis, sed *de lucro adhuc exstante* loqui. Non enim contraria haec sunt, quin potius iungi debent. Nam ex fructibus consumtis si quis locupletior est factus, omnino dicendum erit, & hoc lucrum exstare penes ipsum. Id vero plane non intelligo, quod addit, expediti iuris esse, lucrum in hereditatis petitione existens non pertinere ad fructus, sed ad ipsas res hereditarias. Non enim de rebus hereditariis tantum, sed & de fructibus leges istae loquuntur, & contra semet ipsum pugnare videtur, dum fatetur, fructus omnes augere hereditatem. Quid enim? Si augent hereditatem, quare nec lucrum, quod ex iis perceptum est, & exstat, eam augere debet? Aut quid potest magis PAVLO contrarium dici, qui, *in bonae fidei possessore*, inquit, *1) hi fructus veniunt in restitutione, quasi augmenta hereditatis, per quos locupletior factus est*, nec distinguit, existent fructus, an consumti sint. Distinctio enim haec repugnaret orationi D. HADRIANI, *m) secundum quam in universitate iuris succenda prople- tium succedit in locum rei.* Quam ergo secundum Romanorum placita fructus augerent hereditatem ipso iure, *n)* & pretium succederet in locum rei, ob hanc ipsam rationem, possessorem negarunt lucrari quid posse ex hereditate, quamvis bona fide eum possederit. Ideoque ex his apparet, quod supra diximus, in hoc ipso articulo  
Roma-

1) in c. L. 41. §. I. D. h. t.

m) Vid. L. 22. D. de hered. petit.

n) L. 20. §. 3. D. d. t.